



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Quæ sit legis & Euangelij differentia. tit. 141

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

## TITVLVS CXL

**V**Mambo sunt verbum Dei, Lex & Euangelium, & ab eodem vno Deo nostro data nobis: quæ ergo est differentia inter hæc duo? Est autem hæc differentia: Lex iubet nos aliquid facere, Euangelium autem iubet nos recipere à Deo: Lex iubet nos aliquid facere: vrget & exostulat nostra opera, quæ nos facere debemus & tenemur, sicut sunt præcepta decalogi, Exod. 20. & omnia alia opera, Labores, curia priuata & publica, cæremonia, traditiones politica & Ecclesiastica, religiones, vota, feria, ieiunium, cibus & potus, vestitus: Summa, omnia quæ Deo à nobis exigit fieri & præcipit, ad legem pertinent, & sub ea comprehenduntur. Sic Luca 6. dicitur: *Quid vocatis me, Domine Domine, & non facitis quæ dico vobis?* Omne ergo quod nos facere debemus, ad legem pertinet.

Sic fides & dilectio Dei præcepta sunt, 1. Ioan. 3. & omnes fructus Spiritus, Gal 5. ad legem pertinent. Nam iubemur sic hoc & illud facere, credere, diligere, timere, orare, vigilare, ieiunare, prædicare, &c. Ideo hæc omnia ad legem pertinent, & quemadmodum iuxta regulam Apostoli Roman 3. Gala 3. ex operibus legis non iustificatur omnis homo: Ideo non iustificamur ex operibus nostris, aut in his, quæ nos facimus, aut facere possumus, verbis & factis, non est iustificatio. Nam iustificatio fit propter opus extra nos, id est, in Christum, Dei misericordiam, vitam Christi, non propter opus in nobis, aut à nobis. Deus est qui iustificat per fidem, iubet igitur nos aliquid facere, Romano. 3. Euangelium autem iubet credere solum, & respicere ad opera & merita Christi, & illi, & illi.



& illius victimam, Esai. 53. Et ex illa plenitudine  
 accipere, Ioannis 1. Et solum applicare nobis alie-  
 nam iustitiam, nobisque illam imputare iustitiam,  
 & meritum Christi per fidem, vt dum Euangelium &  
 Deus per Euangelium dicit, Ioannis 3. Dedit DEVS  
 filium suum, vt omnis qui credit in eum, non pereat,  
 sed habeat vitam æternam. Item, do tibi gratiam &  
 remissionem, & salutem æternam, propter filium  
 meum gratis. Sic lauo & absoluo te in Baptismo, vi-  
 tam æternam, do tibi propter solam personam filij  
 mei. Hic si quis credit verbo Dei, & cupit sibi exhi-  
 beri, tunc gratis accipit hoc donum. Est ergo hæc dif-  
 ferentia legis & Euangelij, Lex iubet à nobis aliquid  
 fieri, quod Deus præcipit nos facere erga Deum &  
 proximum. At Euangelium solum nos vocat ad di-  
 stributionem, vt solum apprehendamus & sinamus  
 nobis applicari beneficia & merita Christi, id est, re-  
 missionem peccatorum & vitam, quæ solus ipse mor-  
 te sua conquisiuit. Omnia igitur dona Dei, quæ so-  
 lum nos recipimus à Deo, id est, quæ non meremur,  
 sed Euangelium pertinent, quia propter Christum do-  
 nantur gratis absque merito, sed tamen non sine me-  
 rito. Donat enim filium & omnia cum filio, Rom.  
 nos octauo. sed non sine medijs, id est, fide, poeniten-  
 tia, & pijs operibus. Dona ergo Euangelij per media  
 apprehenduntur, & non sine medijs: & retinetur iusti-  
 ficatio, sed non sine medijs præceptorum Dei. Habent  
 tamen media etiam sua præmia, propter obedientiam,  
 quia propter Deum hæc acceptamus, vt per illa De-  
 us distribuat suum beneficium propter Christum.  
 Ex quibus liquet, quomodo Euangelium non est lex,  
 CHRISTUS non est Moyses, Christus non est legisla-  
 tor, sed saluator. Primò Euangelium non est lex, id  
 est, non docet aut præcipit opera fieri in eum sine,  
 vt iustificent, sed Christum proponit iustificatorem.  
 Secundò, Moyses præcipit ex toto corde fieri legē

Z z

Deut.



Deut. 6. sub maledictione, Deut. 27. Christus iubere nire ad se omnes, etsi legem ex toto corde non seruauerunt, Matt. 11. modò credant. Christus non est gissator, vt per præcepta quæ dat, iustificemur, sicut fides, charitas, timor, oratio, ieiunium, pax, &c. Sed est saluator, qui vulnera & cicatrices ostendit, & inquit, PAX vobis. Et sic Christus non est Moyses. Est igitur Euangelium nuda fiducia super Dei misericordiam, propter Christum promissam.

Hæc autem fiducia sine medijs, id est, fide & penitentia, non est efficax, neque apprehendit beneficium Christi, licet media non sint causa beneficiorum Christi, &cæ. Qui ergo operibus tribuit iustificationem, hic ex Christo Moysen facit. Moyses perfectam exigit obedientiam legis, etsi Christus etiam exigat à nobis perfecta opera intus & foris, quæ præstare non possumus, ergo quoque Christus nos maledicit cum nostris operibus, sicut Moyses cum sua lege. Et hoc Euangelium & lex idem sunt. Sed inquit Apollolus Galat. 2. Non abijcio gratiam Dei. Si ex lege iustitia, Christus gratis venit. Quomodò igitur Christus diceretur saluator, propitiator, si ex æquo cum Moysen & lege damnaret. 1. Ioan. 4. Misit Deus filium suum propitiatorem pro peccatis nostris.

Summa, licet per legem & opera legis, quæ sub lege comprehenduntur, tanquam per media accipimus Christi beneficia, id est, per penitentiam, quam lex docet, & opera penitentiae, sicut Deus nos vocat ad possessionem vitæ æternæ, quam Christus nobis meretur, & ad quam electi sumus ante constitutionem mundi, Eph. 1. sic etiam per fidem, attamen ipsa Dei misericordia gratis propter solum Christum exhibetur, qui est saluator omnium per fidem credentium, vt sicut sanguis Christi sit causa effectiua nostræ salutis, & iustificationis. Omnia alia media sunt, quibus apprehendimus iustificationem, vel retinemus acceptam.